

CH. quid postquam hoc est factum? *ME.* dictum factum
huc abiit Clitipho.

905 *CH.* solu' ? *ME.* solu'. *CH.* timeo. *ME.* Bacchi' con-
secutast ilico.

CH. sola? *ME.* sola. *CH.* perii. *ME.* ubi abiere intro,
operuere ostium. *CH.* hem

Clinia haec fieri videbat? *ME.* quidni? mecum una simul.

CH. fili est amica Bacchi' : Menedeme, occidi. 35

ME. quã ob rem? *CH.* decem dierum vix mi est familia.

910 *ME.* quid istuc times quod ille operam amico dat suo?

CH. immo quod amicae. *ME.* si dat. *CH.* an dubium
id tibist?

quemquamne animo tam com[mun]i esse aut leni putas
qui se vidente amicam patiatur suam . . ? *ME.* ah 40
quidni? quo verba facilius dentur mihi.

915 *CH.* derides merito. mihi nunc ego suscenseo :

quot res dedere ubi possem persentiscere,
ni essem lapis ! quae vidi ! vae misero mihi !
at nẽ illud haud inultum, si vivo, ferent ! 45

nam iam . . *ME.* non tu te cohibes? non te respicis?

920 non tibi ego exempli sati' sum? *CH.* prae iracundia,
Menedeme, non sum apud me. *ME.* tene istuc loqui !
nonne id flagitiumst te aliis consilium dare,
foris sapere, tibi non posse te auxiliarier ? 50

CH. quid faciam? *ME.* id quod me fecisse aiebas parum.

925 fac te patrem esse sentiat ; fac ut audeat
tibi credere omnia, abs te petere et poscere,